9.

IN CARDINALATVM ILLVSTRISS. PRINCIPIS SCIPIONIS GONZAGAE

IOSEPHI: CASTALIONIS PANEGYRIS



ROMAE,
Excudebat Franciscus Zannettus.
Anno M. D. LXXXVIII.

SVPERIORVM. PERMISSV

NICOLAO
BARISONO PATRICIO
ET CANONICO
PATAVINO

IOSEPHVS CASTALIO S. P. D.



Nnumeri sunt, qui singulares Scipionis Gonzagae Cardinalis amplissimi virtutes mirifice colunt: In eorum numero ipse adeo semper excelluisti, vt non immerito ille te vicissim artissima prosequatur beneuolentia. Quantum igitur voluptatis amicissimi tibi Principis noua attulerit dignitatis accessio, & ipse per me satis intelligebam, & luculentius cognoscere potui ex elegantissimis tuis litteris ad Anton. Quaerengum virum ingenij, & doctrinae gloria florentissimum scriptis, in quib. non

tuam tantum, sed communem totius Patauinae vrbis laetitiam ita describis, vt dum significandae voluntati operam solum impendis, ingenij quoque nobilissimi vires ostendas. Quod igitur a me nuper de ipsius Cardinalis laudibus compositum carmen est, id iure optimo ad te potissimum mittendum iudicaui. Neque vero cuiquam aptius quam tibi scriptiones poeticæ dicari possunt. Pauci enim, vel nulli sunt, qui siue id genus aliquid pangendum sit, siue diiudicandum, tibi mereantur anteferri. Sed ego nunc non iudicem te, cuius seueritatem reformido, sed fautorem deposco. Tu carminis inelegantiam argumenti nobilitate compensa, meque ama. Vale. Romae kal. Ianuarij M.D.LXXXVIII.

IN· CARDINALATVM
ILLVSTRISS. PRINCIPIS
SCIPIONIS. GONZAGAE

IOSEPHI. CASTALIONIS
PANEGYRIS



ICITE Caſtalides noſtri noua gaudia ſaecli.
Sit carmen ſummo dignum diademate, & oſtro.
E gyro interiore abiens ſol luminis horas
Ampliat, & terras maiori lampade luſtrat.
It ſine nube dies, rapidi ſine flamine Cauri.
Bruma nitet, placidiq. imitatur tempora veris.
Cuncta fauent GONZAGA tibi, gratantur honori
Cuncta tuo. cum ſole nouo noua purpura fulget.
Optatam populis, optatam Regibus aeque
Rettulit Heſperiae lucem formoſus Apollo.
Dilectum populis, dilectum Regibus aeque

Ardenti

Ardenti rutilare caput dat murice SIXTVS,
Concilioque patrum conscribens inserit alto,
SIXTVS ab integro referens felicia saecla,
Italiae praesens numen, fidusq. salubre.
Terrarum hic iusto tractans moderamine habenas
Vnus rem Latij potuit fulcire ruentis,
Et trepidas longa formidine soluere gentes.
Nam neque nunc miseros vexat discordia ciues,
Funestasque domos sceleratis eruit armis.
Non fora, non squallent infesta vagantibus arua
Exsulibus. sed agunt reseratis otia portis
Oppida, pampineisq. admittit uitibus vlmos
Rusticus, & validis inuertit rura iuuencis.
Tutus iter nunc luce facit, nunc nocte uiator.
Hoc etiam laeti volitabunt principe nautae
Per mare pacatum, & Romana potentia rursus
Deletis totum pandet praedonibus aequor.
Tu vero multos Roma spectate per annos
SCIPIO, & aeternis delecte ad culmen honorum
Iudicijs, maiora animo iam concipe, teq.
Praesidium populis promitte fidelibus ingens.
Quod tibi spondebat primaeuo flore iuuentae
Nota PIO virtus animi, grauioribus annis
Praestitit excelsi clemens sapientia SIXTI,
Anxia quem pro te GVLIELMI cura propinqui
Saepe fatigauit precibus, flexitq. volentem.

Adfuit

Adfuit abſoluens VINCENTIVS orſa parentis
Inclytus, & dignus magnorum ſanguine Regum,
Qui grauidam Imperiiſq. domum, grauidamq. triumphis
Arduus excepit nuper, populoſque regendos.
Ipſa caput quondam Tyrrhenae Mantua gentis
Fert iuga caeleſtis iuuenis mitiſſima collo,
Magnanimi Ducis imperiis, & amore beata.
Te FERDINANDVS Latij pars magna Senatus,
Atq. idem imperij Magnus Dux inuit Etruſci.
Nec qui GONZAGAE nomen fortiſſimus heros,
Intulit in Celtas gentis, Ligerimq. cöercet.
Nec conſanguinei tibi purpura defuit ingens.
Ipſe tuo inuictus laetatur honore PHILIPPVS,
Qui regit Heſperiam, qui leges ponit Eoo,
Atq. alio populos frenat ſub ſole iacentes.
Gaudia ſublimem pertentant quanta RODVLPHVM?
Quem penes imperij q. decus, nomenq. Latini
Siſtit ab Auguſto ductum longiſſimus ordo.
Tantorum o felix ſtudijs, Regumq. fauore,
O votum commune virum, o ſpes maxima rerum.
Sed tibi tantorum ſtudium, Regumq. fauorem
Cana fides, candorq. animi, manſuetaq. corda,
Nataq. non paruis prudentia rebus agendis,
Et peperit ſtudijs inſtructum pectus honeſtis.
Magnanimo dignum te pradicat HERCVLE Roma,
HERCVLE, qui roſeo protexit ſaepe galero

Res

Res Italas, sancti columen, splendorq. Senatus.
Illius alta sequens certo vestigia gressu
Inuenies famae praeconia quanta perennis?
Dissita compones concordi foedera Regum
Eloquio, afflictisq; feres Pater optime quondam
Rebus opem, condesq. nouum mortalibus aeuum.
Iamq. agitas reparare DEI labentia templa,
Muneribusq. sacras dotare ingentibus aedes.
Quanta bonis per te nascuntur commoda? quantum
Perfugium per te miseris aperitur amicis?
Te Patre desierit certe chorus omnis egere
Doctorum, Vates solatia tanta manebant.
Vos ergo ingenium, quibus est diuinius, almam
Concelebrate diem, dignisque ad sidera mecum
Carminibus tantas certatim attollite laudes.

FINIS.